

ARTIC. II.

An relatio huius generis possit immediate in substantia, & in alia relatione fundari?

1. Sentent.

QVAMVIS de substantia non sit ita controuersum: maxima tamen est inter vtranque scholam concertatio; an relatio possit aliam relationem fundare? Partem negatiuam tuentur Thomistæ cum Ferrara quarto contragent. capit. 4. & Soncinato quinto Metaph. quæst. 29. & alij: quam probant primò, ex Arist. tantum tria fundamenta relationum assignant: scilicet quantitatem; actionem & passionem, & rationem mensuræ: ergo aliud præter ista assignari est contra Arist. vel dicendum est, quod ipse fuerit diminutus.

1. Argum.

Secundò, relatio est ratio referendi vnum ad aliud: ergo per se ipsam, & non per aliam relationem, refertur ad omne illud, ad quod ordinari potest: sed, si vna relatio aliam fundare posset: non per se ipsam, sed per illam aliam ordinaretur: quod videtur impossibile: ergo.

3. Argum.

Tertiò, quia aliter daretur processus in entibus realibus: patet: quia si paternitas fundat relationem, cum illa secunda sit vera relatio, fundabit alteram: & sic in infinitum: propter quod vitandum, ait Doctor quinto Metaphysic. quæstione vndecima, conclusionem decima, & in primo dist. 26. quod aliqua relatio præcisè non est fundamentum relationis.

4. Argum.

Quartò, sicut materia non est materiæ, sed formæ: sic relatio non est relationis; sed absoluti: ergo absolutum, & non relatio, erit fundamentum relationis realis.

Sentent. Doctoris.

Secunda, & opposita sententia est Doctoris, pro qua notandum primo, ex eodem in primo distinct. 19. quæstione prima littera A. quod de relationibus identitatis; æqualitatis, & similitudinis, dupliciter loqui possumus: strictè scilicet & large; primo modo peculiaribus entibus attribuuntur: vt identitas substantiæ: æqualitas quantitatis; & similitudo qualitati, quarum fundamenta sunt res illius generis, in quo fundantur: & ratio fundandi est vnitas formalis talium rerum. Secundo modo in omni genere: imò & extra genus reperiuntur.

2. Notan.

Secundo notandum: quod hæc tria, substantia, quantitas, & qualitas, etiam dupliciter sumuntur: strictè; prout tria prædicamenta absoluta constituunt: large autem in omni ente inveniuntur. De substantia patet: quia communiter pro essentia sumitur: & omne ens habet necessarium suum quid: de qualitate etiam constat: circuit namque omne ens: vnde quinto Metaph. cap. de Qualitate dicitur: differentia essentialis qualitas est, & Porphyrius ait, ipsam in quale quid prædicari. Similiter quantitas improprie; id est, quantitas virtutis, seu perfectionis; in omni includitur ente: quodlibet enim habet suam magnitudinem perfectionis, Itaque quodlibet ens

tripliciter considerari valet: vel per modum habentis quidditatem: vel per modum habentis quantitatem perfectionis: vel tandem per modum qualis: & cum qualitas, quantitas, & substantia, sit fundamenta similitudinis, æqualitatis, & identitatis: sequitur, quod in omni ente possunt istæ tres relationes immediate fundari: & hoc voluit Philosophus decimo Metaphysic. tex. 12. quando dixit: omne ens omni enti comparatum est idem, vel diuersum: & similiter potest dici: æquale vel inæquale: simile, vel dissimile. Vnde sicut harum relationum fundamenta sunt transcendentia: etiam & ipsæ transcendententes sunt: id est, in quolibet genere reperiuntur.

Tertiò notandum: quod relatio dupliciter sumitur: vel quatenus est præcisè, & formaliter ratio vnum ad aliud referendi: vel materialiter: prout scilicet conuenit cum alia relatione in specie, & natura vna: vt duæ paternitates considerantur, quatenus sunt eiusdem speciei in prædicamento relationis: habet enim hoc prædicamentum sua genera, species, & indiuidua: sicut & quodlibet aliud genus.

Dicendum primò. Relatio realis immediate in substantia fundari potest: hæc est Doct. & suorum quinto Metaphysic. quæst. 12. & in primo distinct. 31. & in secundo distinct. 1. quæst. 5. & in tertio distinct. 8. & quodlib. 6. contra Sorum & Toletum in præsentibus: probatur primo, distinctio realis est relatio realis: hæc enim tria, distinctio, relatio, & oppositio habent se per ordinem: sed substantia, omni accidente remoto; adhuc est distincta realiter ab alia substantia: puta, homo à lapide: ergo aliqua relatio realis fundatur immediate in substantia. Maior patet, & minor probatur: quia distinctio essentialis non est per ali-quod accidens rei distinctæ.

Secundò, forma substantialis, secundum se ipsam dependet à sua causa efficiente, sed dependentia realis, qualis est effectus realis ad causam realem, est relatio realis: ergo, &c.

Tertiò, omnis similitudo est relatio: quia nihil est sibi, sed alteri, simile: sed vna substantia est alteri realiter similis: ergo talis similitudo realis immediate in substantia fundatur: probò minorem: quia non minus Petrus, & Ioannes sunt similes in natura humana, quam duo alba in albedine: ergo.

Dicendum secundò. Relatio realis potest esse immediatum fundamentum alterius relationis realis, hæc est Doct. quinto Metaph. quæst. 11. in primo distinct. 1. quæst. 4. distinct. 6. quæst. 2. dist. 12. quæst. 1. dist. 19. quæst. 1. & in secundo dist. 1. quæst. 4. ad quintum, in quarto dist. 6. quæst. 10. quem sequuntur omnes eius discipuli ibidem contra Caiet. Soncinatem, Masium, Murciam, & innumeros alios: probatur primò, ita eiusdem rationis sunt duæ paternitates, seu duæ relationes eiusdem speciei, sicut duæ albedines, & duæ quætitates, sed inter istas est conformitas, & relatio realis: ergo & inter illas.

Secundò, sicut inter duas paternitates est realis conformitas: sic inter paternitatem, & filiationem est realis difformitas: sed talis difformitas est realis relatio: ergo,

3. Notand.

1. Concluf.

2. Concl.

Ter-

Tertiò; quæcunquæ realiter distinguuntur, fundant relationem realem: sed duæ paternitates realiter distinguuntur: ergo.

Quarto probatur à priori: duæ relationes eiusdem speciei sunt entia realia habentia naturam specificam, vnam, realem, in qua conueniunt, eo modo, quo eam habent Petrus, & Paulus: ergo habent proximum fundamentum relationis identitatis realis: nempe vnitatem formalem relationis specificæ, quam participant: ergo tales relationes immediate præfatam relationem fundant. Alias rationes vide apud Valeram in secundo lib. suæ Logicæ distinct. 5. art. 2. quæst. 2.

Ad primū.

Ad argumenta contrariæ sententiæ respondetur ad primum, quod Arist. sub illis tribus fundamentis comprehendit omnia alia, quæ vnitate formalem participant, cum suis oppositis: vnde 5. Metaph. cap. 15. ait: eadem enim sunt, quorū substantia est vna.

Ad secundum.

Ad secundum dico: quod relatio formaliter sumpta est ratio referendi; & vt sic non est fundamentum: secus pro materiali considerata.

Ad tertium.

Ad tertium dicendum: quod illæ relationes, seipsas, sunt similes, & æquales: nam quando denominatio aliqua est eiusdem rationis cum aliqua forma, & effectu formali illius, quem ipsa alteri confert, & intrinseca, ac inseparabilis ab ipsa, sistendum est in tali forma: ipsa enim per se est talis: vt existentia, seipsa, & non alia, existit: quætitas seipsa, & non per aliam quantitatem, est quætitas: sic in proposito dicendum est.

Vel potest dici: quod in absolutis inconueniens est progredi in infinitum: secus in relationibus: vt de secundis intentionibus alibi diximus.

Ad quartū.

Ad quartum, nego paritatem rationis: nam implicat, quod materia sit fundamentum alterius materiæ: non autem implicat: quod relatio pro materiali fundet aliam relationem, quæ mediate ad absolutum primæ terminatur: quod tantum vult Doct. in tertio argumento relatus.

ARTIC. III.

An relatio realis per aliquam actionem producat: & cuius sit talis actio; termini; an fundamenti, an agentis extrema causantis?

1. Sentent.

TRIPLEX circa hunc articulum sententia versari potest: prima est Stephani Bruliser, quem citat Bargius in primo distinct. 17. quæst. 2. fol. 216. lit. L.

1. Argum.

Afferentis relationem realem causari à causante extrema: quæ sic probari potest: nam secundum Arist. ad relationem huius generis non est per se motus, nec mutatio: sed si relatio produceretur immediate ab extremis; ad illam esset per se motus, contra Arist. ergo dicendum est: quod non ab extremis; sed ab agente causante extrema produciatur.

Secundo; Relatio, secundum communiter loquentes non produciatur; sed resultat; & comprobat ad productionem extremorum: ergo sufficit actio, qua produciatur extrema; vt ipsa resultat: non enim multiplicandæ sunt actiones sine necessitate.

Secunda sententia potest esse: quod relatio realis ab vtroque extremo simul produciatur. Probatur primo, relatio secundum omnes dependet à fundamento, & termino: ita vt sine illis nequeat esse: imò magis à termino, quam à fundamento. ergo vtrumque est eius causa productiua.

Secundo, aliquod fundamentum; puta quantitas, & materia prima, non est actiuum: ergo relationes, quas fundant, produciuntur à terminis: ergo terminus etiam est productiuus relationis: vel si non: talis relatio produceretur à causante extrema, & hoc argumentum facit pro prima opinione.

Tertia sententia affirmat relationes reales immediate produci à fundamento, tanquam à causa adæquata. Ita Leuchetus quodlib. 14. Valera in præsentibus distinct. 5. art. 2. quæst. 1. conclusio tertia, qui citat Doct. in secundo distinct. 1. quæst. 5. pro qua notandum primo, differentiam esse inter actionem productiuam; mutationem, & motum: nam mutatio, & motus semper continent duos terminos primos, à quo, scilicet, & ad quem: quia omnis mutatio, & motus, fit ab opposito in oppositum, & à quodam in quoddam ex quinto Physicorum: id est, à subiecto in subiectum: vt alteratio: vel à non subiecto in subiectum: vt generatio: vel à subiecto in non subiectum: vt corruptio: vero actio productiua ex se non postulat nisi terminum, ad quem: etsi aliquando exigit terminum, à quo; hoc est per accidens, ratione motus, seu mutationis, quam committitur: quod autem est per se conueniens alicui, potest ab illo, quod ei conuenit per accidens, absolui: & ita potest actio productiua reperiri sine mutatione, & motu. Vnde secundum August. sexto de Trinitate cap. 1. Splendor ignis, qui gignitur ab igne, atque diffunditur; esset coæternus, vel coæuus igni: si ignis esset æternus: si ergo sic esset: splendor ignis esset per se terminus actionis ignis ab æterno: & tamen non esset per se terminus mutationis, nec per se nec per accidens: quoniam non transiisset de non esse ad esse. Et hoc idem voluit Philosophus 7. Metaph. tex. 22. vbi loquens de actione sic ait: omnia autem, quæ fiunt, ab aliquo fiunt; & ex aliquo; & hoc aliud dico secundum quamlibet Categoriam: aut enim; aut quantum; aut quale; aut quando. Ex quo textu constat: quod actio solum tria concernit: scilicet agens; materiam; & terminum ad quem; non vero terminum, à quo.

1. Not.

Ex quo inferitur; aliud esse terminare motum; aliud terminare mutationem; & aliud terminare actionem: nam terminare motum est formam successiue acquisibilem acquiri per motum successiue: terminare mutationem est, formam totam indiuisibiliter & in instanti acquiri: vero terminare actionem productiuam est formam habere esse per ipsam sine motu, & mutatione; nisi forte per accidens: vel nisi motus su-

Corol.

matur larges; prout actionem comprehendit: stri-  
cte enim solum in substantia; quantitate: qualita-  
te; & ubi reperitur; vt ex 5. Physicorum liquet:  
pro quo vide Doct. in 4. distinct. 10. quæst. 6.

2. Nota. Secundo notandum: quod actio respicit po-  
tentiam: sicut & potentia agens, cuius est poten-  
tia. Vnde sicut duplex est agens reale naturale:  
alterum, quod agit per motum, siue mutationem  
proprie dictam: alterum per simplicem actionem  
productiuam: sic potentia, siue actio, est duplex:  
alia transmutatiua, quæ est principium transmu-  
tandi aliud, in quantum aliud: de qua Aristot. 9.  
Metaph. Altera est productiua simpliciter: & est  
duplex: alia pullulariua, qua producitur termi-  
nus formaliter à causa distinctus: vt actio, qua  
potentiæ animæ ab ipsa anima producuntur:  
alia, qua producitur terminus realiter distin-  
ctus: vt actio, qua Sol suos radios producit: &  
hac actione fundamentum relationem causat.  
Pro his actionibus: & quomodo illarum sint octo  
genera: consule Franciscum de Mayronis in suo  
conclato; quæst. 1. & 2.

3. Nota. Tertio notandum: quod licet communiter  
dicatur: relationem realem requirere ad sui esse  
fundamentum, & terminum: non intelligendū  
est: quod terminus effectiue concurrat ad ipsam:  
solum enim fundamentum est causa productiua  
illius: causa, inquam, effectiua, immediata, præ-  
cisa, & adæquata, sine qua impossibile est ipsam  
relationem ab alio immediate causari; etiam ab  
ipso Deo: nam licet, secundum Doct. quodlib.  
7. possit Deus causare immediate omne causa-  
bile sine causa secunda efficiente; intelligendum  
est: vel de causabili absoluto tantum; & non de  
relatiuo: vel de causabili non comparato ad  
causam præcisam, & adæquatam, ac immedia-  
tam, maxime quando concurrat necessario in ra-  
tione subiecti immediati, ac necessarij: quale  
est fundamentum respectu relationis: termi-  
nus autem tantum concurrat, vt conditio; seu vt  
concausa terminans, ac complens esse relatio-  
nis: non quod illi tribuat aliquod esse entita-  
tium; sed quia relatio realis est essentialiter ha-  
bitudo ad terminum realem: & ita implicat esse  
sine termino, ratione cuius dicitur specificari:  
non quod terminus sit intrinsece de quidditate  
relationis: sed quia ordo ad ipsum est illi essen-  
tialis: & hoc est, quod communiter dicitur: quod  
relatio sumit entitatem à fundamento, & speci-  
ficationem à termino: ac si dicatur: relatio esse  
ue est à fundamento: specificatiue vero per ordi-  
nem ad terminum.

4. Nota. Quarto notandum: quod licet intrinsecus ad-  
ueniens relatio non possit esse per se principium  
motus, seu actionis; vt aliqui volunt. Tamen po-  
test esse terminus motus seu actionis per se; licet  
non per se primo: vt optime dicunt Parisenses  
in 5. Physicorum art. 2. dub. 2. & Canonicus no-  
ster ibidem, q. 5. conclusione prima: nec opposi-  
tum docet Doctor quodlib. 11. dum ait: quod re-  
latio tantum terminat motum per accidens: nam  
ipse seipsum explicat dicens: per accidens; id est  
per aliud; siue alio acquirito: & hoc verum est: nam  
relatio non potest immediate produci, non prius  
productio aliquo absoluto in aliquo extremorum

pertinente ad rationem extremi. Quare licet rela-  
tio habeat per se propria nouitate per actionem  
propria per se ad ipsam terminata: hanc tamen  
habet, præhabita nouitate alicuius absoluti perti-  
nentis per se ad rationem alicuius extremi: hoc est  
clarius: ad relationem non est per se primo motus:  
sed per se non primo: quia prius præsupponitur  
extrema: & hoc tantum intendit Subt. Doctor.

1. Conclusio. Dicendum primo. Relatio realis producitur  
actione alia ab illa; qua extrema producuntur:  
hæc est expressa sententia Doct. in 1. dist. 17. q. 2.  
lit. P. Vbi sic ait: relatio autem consequens extrema  
necessario non habet causam propria aliam ab ex-  
tremis: ergo per actionem extremorum; & non cau-  
sa extrema producuntur; causatur relatio secundum  
Doct. & in 2. dist. 1. q. 5. dicitur: si relatio creaturæ  
ad Deum esset realiter distincta: tunc immediate de-  
pendere; et ad Deum in ratione causati ad causantem:  
ergo secundum Doct. relatio distincta realiter à  
fundamento, habet causalitatem immediatam. Do-  
ctor sequuntur auctores citati cum Parisensibus,  
& Canonico, vt supra: ac etiam Bargius loco  
citato: & probatur 1. Relatio huius generis ha-  
bet propria entitatem realiter ab utroque extre-  
mo distincta: vt articulo sequente videbimus: ergo  
habet propria causalitatem: ita quod non causa-  
tur præcise causalitate extremorum: quia tunc non  
haberetur entitatem propria ab eis realiter distincta;

Secundo, accidentia omnia (vt ex Doct. in 4.  
dist. 12. q. 3. suppono) producuntur à substantia ge-  
nerata, & non à substantia generata: sed relatio est  
accidens: ergo ab extremis productis; & non à  
producente extrema, producitur.  
Tertio, nona paternitas aut est noua propria  
nouitate; aut præcise nonitate vtriusque, vel al-  
terius extremi: si primū habetur intentum. Si secun-  
dum: sequitur, quod erit idem; vel cum utroque  
extremis; vel cum altero tantum: quia tunc habebit  
præcise eandem causalitatem passiuam: nam eadē  
causalitas actiua necessario postulat eandem cau-  
salitatem passiuam: ac per consequens non disti-  
guetur relatio realiter ab extremis: quod falsum  
esse monstrabimus.

Quarto, Relatio realis habet verum esse reale: er-  
go per aliquam actionem reale: ergo vel per actionem  
immediate ad ipsam terminata: & habetur inten-  
tū: vel per actionem, qua producitur, vel terminus,  
vel fundamentum: non per actionem, qua habet esse ter-  
minus: quia actio, quæ non attingit subiectum for-  
mæ; nec ipsam formam attingit: sed actio produ-  
ctiua termini non attingit subiectum relationis: cum  
non subiectetur in termino, sed in fundamento: er-  
go non per actionem termini producitur relatio.  
Nec habet esse per actionem productiuam fundamē-  
tū, quia relatio est posterior generatione funda-  
mentū: tū etiā, quia formæ contrariæ non accipiunt  
esse per eadē numero actionem: sed idē fundamen-  
tū refertur ad diuersos terminos, formis contrarijs  
relatiuis: sicut eadē quantitas, quæ est maior res-  
pectu vnius; & est minor respectu alterius, qui sunt  
duo respectus contrarij: ergo relationes istæ non  
accipiunt esse per actionem, qua quantitas produci-  
tur; sed per aliam propria illis. Tū denique, quia ac-  
tio, qua fundamentū fuit productū potest non esse,  
quādo in ipso confurgit relatio: vt si sit vnū albu  
in

in rerum natura; & agēs designat esse statim post  
suam productionem: & post multum temporis  
aliud agens producat aliud album: tunc in prio-  
ri confurgit relatio, non per actionem agentis,  
quod defuit; vt patet ergo, &c.

Dices; quod relatio habet esse per actio-  
nem fundamenti; non immediate, sed mediate.

Contra: quidquid immediate habet esse de  
nouo; debet habere actionem immediatam ad  
ipsum terminatam: sed relatio habet esse de no-  
uo immediate: aliter enim, posito fundamento  
sine termino in rerum natura, haberet relatio ve-  
rum esse; licet mediate: & ita per positionem ter-  
mini nihil haberet relatio de nouo: quod est fal-  
sum; ergo nec per actionem fundamenti; quan-  
tumuis mediate; habet esse relatio.

2. Conclusio. Dicendum secundo, terminus nullo modo  
concurrit efficienter ad relationem, sed tota actio,  
qua producitur tenet se ex fundamento, tanquā  
à causa immediata, & adæquata. Hæc est Leu-  
cheri vt supra, & quoad primam partem proba-  
tur: nam virtus finita debet habere sphaeram de-  
terminatam suæ actiuitatis: sed si terminus posset  
relationem realem in fundamento causare; non  
haberetur talem sphaeram determinatam: nam posi-  
to vno albo in Cælo, & alio in Inferno confurgit  
similitudo, ergo si album, quod est in Cælo cau-  
sat similitudinem in albo, quod est in Inferno; vi-  
detur non habere sphaeram determinatam: & op-  
positum videtur impossibile.

Secunda pars est manifesta: nam relatio est  
entitas realis realiter causata: aliter enim; si esset  
incausata; esset Deus: sed non causatur per actio-  
nem, qua producuntur extrema; nec per actionem  
à termino prouenientem: ergo per actionem fun-  
damenti.

Dices in fauorem primæ sententiæ: actio,  
qua producitur relatio, est etiam relatio: ergo  
per aliam actionem producitur: & sic in infinitum.

Secundo, omnes relationes videntur esse se-  
cundi modi: nam omnes videntur fundari super  
actionem, & passionem: sed hoc est contra Arist.  
& contra omnes: ergo, &c.

Ad primum dico: quod in relationibus pro-  
ductiuis est status: nam actio non producitur alia  
actione: sed ipsa immediate à forma, seu potentia  
productiua elicitur.

Ad secundum dicendum: quod relationes  
secundi modi fundantur super actionem, qua ali-  
qua natura alicui indiuiduo communicatur: non  
vero fundantur super quamcumque actionem  
productiuam; qualis est actio, qua fundamentū  
producit: nam per illam non tribuit esse eiusdem  
rationis relationi: quia tunc fundamentum, & re-  
latio essent eiusdem generis, & speciei: sed tantū  
tribuit illi esse simpliciter.

Ad argumenta primæ sententiæ responde-  
tur: ad primum quod ad relationem non est per  
se motus: bene tamen est per se actio; non per se  
primo; sed per se non primo.

Ad secundum dico: quod relatio produci-  
tur proprie: tamen quia necessario ponitur, extre-  
mis positis, dicitur communiter comproduci.

Ad primum, pro secunda sententiā dico:

quod relatio dependet à termino, vt à conditio-  
ne; & à causa complete; ac specificante: non ve-  
ro; vt à causa efficiente.

Ad secundum dicendum: quod licet quan-  
titas non sit actiua quantum ad transmutationem  
generatiuam, & alteratiuam: quia non est princi-  
pium alicuius accidentis corporalis: bene tamen  
ponitur de genere actiuorum ad producendam  
relationem: sicut producit sui speciem intelli-  
gibilem in intellectu: vt videtur tenere Doct. in 4.  
distinct. 12. quæst. 3. ad argumenta principa-  
lia.

Vtrum autem relatio, quæ super aliam rela-  
tionem fundatur, causetur ab ipsa relatione, quæ  
est eius fundamentum: vel ab absoluto, in quo illa  
prior relatio fundatur? dubium est: Bargius vt  
supra hoc se cunctum affirmat: sed illi, qui tenent  
relationem esse causatiuam speciei intelligibilis  
sui, primum necessario concedere debent, elige,  
quod tibi magis placuerit.

ARTIC. III.

An relatio realis realiter à suo funda-  
mento distinguatur?

PRIMA sententia asserit, quod relatio, licet sit  
realis intrinsece, & realiter deno-  
minans subiectum: non tamen est realiter  
à fundamento distincta: sed eadem  
realitas absoluta fundamenti est realitas relatio-  
nis, quatenus connotat terminum extrinsecum:  
itaque tantum inter relationem huius generis, &  
fundamentum, distinctionem rationis ratioe na-  
tæ videtur hæc sententia concedere; quam Nomi-  
nales, quos citat, & sequitur Suarez secundo to-  
mo Metaph. disput. 47. sect. 2. defendunt: & pro-  
batur primo, si paternitas distinguitur ab homi-  
ne, qui est pater; vel subiectatur in toto homine;  
vel in aliqua parte: non in toto homine: quia tūc  
quælibet pars hominis esset pater: nec in aliqua  
parte: cum talis non sit assignabilis: ergo paterni-  
tas non distinguitur realiter à fundamento: alias  
enim in aliquo subiecto subiectaretur.

Secundo arguit Ocham in primo distinct.  
30. quæst. 1. Relatio distinguitur realiter à fun-  
damento: ergo poterit Deus eam ab illo separa-  
re: quod implicat: patet consequentia: quia quæ  
realiter distinguuntur; & vnū non est alterius  
pars; possunt ab inuicem separari; sed per vos re-  
latio realis est huiusmodi: ergo.

Tertio, ex opposita sententia sequitur pro-  
cessus in infinitum: ergo non est amplectenda:  
patet antecedens: relatio realiter distinguitur à  
fundamento: sed illa distinctio est relatio: ergo  
vel inter illam, & fundamentum est distinctio;  
vel non: si hoc secundum; habetur intentum: si  
primum; quæro de illa alia distinctioe, quæ est  
relatio: & ita in infinitum abibit.

Quarto sequitur: quod in Petro sunt infini-  
tæ realitates; videlicet proportionis; similitudi-  
nis: & dissimilitudinis: patet: quia quot possunt  
termini assignari: tot erunt in illo relationes: &  
cum